



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

14 Vtrum debeant vitari illi excommunicati, de quorum excommunicatione  
est apud peritos diuersa sententia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)



sed quandoq; iudex secularis, uel ecclesiasticus exigit iuramentu ab aliquo ut reuelat id, quod scit de aliquo occulto, ut dicit quedam decretalis de purgationibus. ergo pari rone ipse praelatus in capitulo potest et religiosis precipere in virtute ipsius obedientie, ut dicat ei si quid sciuit de aliquo crimine occulto.

RESPON. Dicendum, quod peccatum dupliciter potest esse occultum. Vno modo simpliciter, ita scilicet quod ad multorum notitiam nullo modo peruenit, & tale peccatum occultum nocet soli facienti, & ideo quod tale peccatum occultum fratris scit, solum hoc debet intendere ut fratris peccantis salutem procuret: unde institutus est a Domino ordo correctionis fratrum, ut primo quidem corripiat aliquis fratrem occulte peccantem inter se & ipsum solum, postmodum adhibeat duos, uel tres testes, & tunc tandem si non corrigatur, dicat ecclesie, contra quem ordinem si praelatus precipiat, ut peccatum fratris occultum ei dicatur, non est obediendum, & ipse peccat precipiendo: quia oportet Deo magis quam hominibus obedire. Si autem peccatum fratris non sit adeo occultum, quin per aliquas suspitiones in multitudinis notitiam ueniat, unde multorum scandalum oriatur, iam peccatum non solum nocet illi, sed multis. Et quia bonum multitudinis praefertur bono unius, ideo praelatus debet disquirere ueritatem de facto, ut scandalum multitudinis cesset uel per poenam peccantis, uel per eius exculationem. Et ideo in tali casu potest precipere scienti crimen fratris, quod manifestum est, & ille cui precipitur, tenetur praelato obedire. Sic enim cum non sit omnino occultum crimen pertinet ad iudicium praelati, & in hoc casu loquitur decretalis, non autem in primo.

Vnde patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS XIII.

Virum Papa possit dispensare super bigamia.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur quod Papa non possit dispensare in bigamia irregularitate. Non enim potest ab homine dispensari in his quae sunt diuinitus instituta, ut Ber. dicit in lib. de dispensatione & praecipio: sed doctrina Apostoli, in qua continetur quod bigamus non promoueatur, ut patet 1. Th. 3. & ad Tit. 1. est diuinitus promulgata, secundum illud Apost. 2. ad Cor. ult. An experimentum queritis eius, qui in me loquitur. Christus? ergo Papa non potest cum bigamis dispensare.

SED CONTRA est, quod in Decretis dist. 5. dicitur, quod Papa cum quodam bigamo dispensauit.

RESPON. Dicendum, quod Papa habet plenitudinem potestatis in ecclesia, ita scilicet quod quaecumque sunt instituta per ecclesiam, uel ecclesiae praelatos, sunt dispensabilia a Papa. Haec enim sunt quae dicuntur esse iuris humani, uel iuris positui. Circa ea uero quae sunt iuris diuini, uel iuris naturalis, dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione diuina. Ius autem diuinum est quod pertinet ad legem nouam, uel veterem. Sed haec differentia est inter legem utramque, quia lex uetus determinabat multa tam in praecipis ceremonialibus pertinentibus ad cultum Dei, quam etiam in praecipis iudicialibus pertinentibus ad iustitiam inter homines conseruandam: sed lex noua quae est lex libertatis, homini determinationes non habet, sed est contenta praecipis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & sacramentis gratiae, unde dicitur lex fidei, & lex gratiae, propter determinationem articulo-

rum fidei, & efficaciam sacramentorum. Caetera uero, quae pertinent ad determinationem humanorum iudiciorum, uel ad determinationem diuini cultus, libere permisit Christus, qui est nouus legislator, praelatis ecclesiae, & principibus christiani populi determinanda: unde huiusmodi determinationes pertinent ad ius humanum, in quo Papa potest dispensare. In solis uero his, quae sunt de lege naturae, & in articulis fidei, & sacramentis nouae legis dispensare non potest. Hoc enim non esset posse pro ueritate, sed contra ueritatem. Manifestum est autem, quod bigamum non promoueri, neque est de lege naturae, neque pertinet ad articulos fidei, neque est de necessitate sacramenti, quod patet ex hoc, quod si bigamus ordinatur, recipit ordinis sacramentum, sed hoc pertinet ad quandam determinationem diuini cultus. Unde circa hoc potest Papa dispensare, licet dispensare non debeat, nisi ex magna, & euidenti causa: sicut etiam posset dispensare circa hoc, quod aliquis sacerdos non indutus uestibus sacris conseraret corpus Christi. Et eadem ratio est de omnibus alijs huiusmodi, quae ex institutione humana processerunt.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod Apostolus dupliciter in doctrina sua aliqua proposuit, quaedam quidem sicut promulgans ius diuinum, sicut illud quod habetur ad Gal. 5. Si circumcidimini, Christus uobis nihil proderit, & multa alia huiusmodi: & in hoc Papa non potest dispensare. Quaedam uero sicut propria auctoritate aliqua statuens: nam ipse dicit. 1. ad Cor. 11. Caetera cum uenero disponam, & infra 16. mandauit, ut collectae, quae sunt in sanctos, per unam sabbathi fiant, quod non pertinet ad ius diuinum. Et similiter etiam, quod dicitur de bigamo non promouendo, non est iuris diuini, sed institutio auctoritatis humanae diuinitus homini concessa.

ARTICVLVS XIII.

Virum debeant uitari illi excommunicati, de quorum excommunicatione est apud peritos diuersa sententia.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quod non debeant uitari illi excommunicati, circa quorum excommunicationem sapientes contraria opinantur. Quia secundum iura Episcopus non potest auferre beneficium, quod clerico concessit, sine culpa: sed non minus debetur communicio fidelium cuilibet fidei, quam beneficium clerico sibi ab Episcopo collatum. ergo nec communicio fidelium est alicui subtrahenda sine culpa: sed quando dubitatur, an causa subsit, promptior debet esse animus boni uiri ad interpretandum in mitiorem partem. ergo ex quo dubitatur de excommunicatione aliquorum, magis debet aliquis per hoc stare, quod non sint excommunicati, & ita non debet eos uitare.

SED CONTRA est, quod si aliquis percussus in bello, moriatur, si ignoretur quis eum percussit, propter dubium quilibet, qui in bello interfuit, irregularis habetur secundum iura. ergo a simili uidetur, quod ex quo dubium est de aliquibus, an sint excommunicati, propter maiorem cautelam sint uitandi.

RESPON. Dicendum, quod dubitatio de excommunicatione aliquorum, aut praecedit sententiam iudicium, aut sequitur. Si praecedit, pura, cum nondum est declaratum per iudicium consensum aliquos esse excommunicatos, non sunt uitandi quousque certo iudicio terminentur. In hoc. n. casu uerum est, quod in mitiorem partem

Quodlib. S. Tho. D 2 inter-

Math. 19.

aa. 5.

dist. 27. q. 3. ar. 2.

D. 519.

Arr. 4. d. 20. q. 2. ar. 4. q. 2. c.